



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Subsect. 1. Nostra sententia proponitur & probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

nobis fere non advertentibus artificiose moveantur; ergo datur comprincipium aliquod conatum supplens, & hoc est habitus, vel voca illum sicut libuerit, dummodo concedas qualitatem novam vsu compari.

In alijs autem facultatibus sensus non dantur habitus, quia non experimur vsu facilitatem acquiri, & quia magis excitantur per modum naturæ per obiecti præsentiam. Ratio autem diversitatis est, quia priores aut cognoscunt rationem boni, & mali ut phantasia, vel illud prosequuntur, aut fugiunt, & sic habent veluti rationem aliquam indifferentiæ, & universalitatis ad quam determinandam datur aliquid inclinandans per modum comprincipij, vsu comparati; potentia autem motiva subternitur varijs artificijs, & ita variæ in lingua, manibus, & pedibus dantur facilitates, quarum nihil in alijs potentijs invenitur.

SECTIO II.

Utrum in intellectu detur habitus.

⁹ CUM nonnullis negat P. Hur. cuius fundamentum sunt duo: primo, quia intellectus est causa omnino necessaria ut est visus, & auditus propositis obiectis; ergo est habituum incapax, qui tantum ponuntur ad inclinandam potentiam, qui finis cessat cum potentia est ad aliquid omnino inclinata.

¹⁰ Secundo, quia ad prima principia sufficit species, qua intellectus ad assentiendum determinatur; ad conclusionem determinant præmissæ omnino; ergo superfluous est habitus.

SVBSECTO I.

Nostre sententia proponitur, & probatur.

¹¹ CONCLUSIO: in intellectu dantur veri, & proprii habitus, sic P. Suarez in metaphysica tom. 2. disp. 44. de habitibus sect. 4. §. nihilominus tam. num. 3. Salas disp. 2. sect. 4. disp. 78. num. 14. Rubius, Azor, Valensia, Conimbricenses, & alij.

¹² Est manifesta sententia Divi Thomæ 1. 2. q. 54. art. 4. ubi sic ait, ille qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam unius conclusionis habet quidem habitum; sed imperfecte, cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius non aggeneratur in eo alius habitus: sed habitus qui prius inhaeret fit perfectior, sic Divus Thomas.

¹³ Ad quæ nequit dici intelligenda esse de coordinatione specierum, cum certum sit ad novam rem cognoscendam novam advenire speciem. Item ipse Angelicus Doctor eadem 1. 2. q. 51. art. 2. & 3. dicit habitus intellectuales acquiri per actus intellectus, per ipsosque perfici, & q. 54. supra citata, art. 4. expresse dicit habitum esse simplicem qualitatem, & minime continere in se pluralitatem: atqui coordinatio specierum dicit pluralitatem necessario, quia coordinatio est dispositio plurium; ergo habitus secundum Divum Thomam non est coordinatio specierum formaliter: sed tantum effective, quatenus habi-

tus est habitus, quam intellectus acquirit ad ordinate utendum his speciebus, & recte iudicandum secundum illas; & in hunc modum existimo cum P. Suarez interpretandum esse Divum Thomam quotiescumque habitum scientiæ appellat ordinationem specierum; non enim solas species posuit in intellectu, ut ex alijs locis constat. Nec intelligere potuit illam ordinationem esse aliquid reale additum speciebus, & intrinsece seu formaliter in eis existens, quia talis ordinationis intelligibilis non est, ut ex infra dicendis patebit; debet ergo intelligi de ordinatione quasi efectiva, seu extrinseca quam habent species ex vi habitus scientiæ, cuius sunt veluti instrumenta.

Nec refert quod quest. 24. de veritate, art. 2. dixerit, quod specierum aliquis ordinatio habitum efficit; imo si hæc verba in rigore sumantur potius nobis favent, quia distinguit habitum ab speciebus; unde per ordinationem specierum sibi intelligere possumus non habitualem ordinationem, sed actualem, id est, ordinatum vsum earum, quo habitum acquirimus, & eodem modo intelligendum est, id, quod ait Divus Thomas scientiam nimirum habitum augeri acquirendo novas species, non est intelligendum formaliter: sed causaliter, quia nimirum acquisitionis novis speciebus fiunt actus, quibus habitus augeatur. Non est autem inconveniens admittere interdum nomine scientiæ significari ipsum habitum cum suis speciebus, & hoc modo aliquas denominationes accipere ratione specierum, non tamen propterea excluditur habitus iudicativus ab speciebus distinctus.

Est etiam expressa sententia Aristotelis, qui 6. 14. Ethicorum, cap. 3. & 1. posteriorum cap. 28. & c. 26. dividit virtutes mentis in intellectum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem; & lib. 1. Ethicorum, cap. 13. ponuntur ab Aristotele habitus intellectuales, qui sunt virtutes in intellectu, & lib. 2. cap. 1. quinque numerantur ab ipso lib. aut. 6. cap. 3. earum duas docet esse practicas, scilicet artem, & prudentiam, quas certe non constat consistere in solis speciebus, quæ facile acquiruntur, & memoriæ etiam mandantur; sed in alio habitu magno vsu, & habitudine acquisito; unde sæpe Aristoteles, quoad hoc equiparat duos habitus virtutibus moralibus, ut patet ex 9. metaphysicorum, & 2. Ethicorum, cap. 1.

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur conclusio.

PRIMO, nam in intelligendo est difficultas, quod experientia constat (quod si adversarij illam negent, gratias agant numini quod aperuerit illis sensum, & dederit illis intelligentiam, & faciem eisdem ad scientias abstrusas, & reconditas aditum referaverit), & fuerit id sacra Scriptura, dicens alicubi cunctæ res difficiles, nec valet eas homo explicare sermone, & alibi deprimit terrena inhabitatio sensum multum cogitantem; cum ergo difficultas sit providentissima naturæ incumbere ut habitus, & facilitates impertiretur intellectui, quibus vinceretur illa, & ita vsu, evenit, ut exercitio scientiarum evadamus scientissimi.

Nec